

**Nonnulla de praedispositione hereditaria : dissertatio inauguralis medico-pathologica ... / auctor Bernhardus Preiss.**

**Contributors**

Preiss, Bernhard.  
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Berolini : Typ. Ferdinandi Nietack, 1830.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/ve5wungw>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>







N O N N U L L A  
D E  
**PRAEDISPOSITIONE  
HEREDITARIA.**

~~~~~

D I S S E R T A T I O  
INAUGURALIS MEDICO - PATHOLOGICA  
QUAM  
CONSENSU ET AUCTORITATE  
R A T I O S I M E D I C O R U M O R D I N I S  
I N  
UNIVERSITATE LITTERARIA  
FRIDERICA GUILIELMA  
P R O S U M M I S  
M E D I C I N A E T C H I R U R G I A H O N O R I B U S  
R I T E C A P E S S E N D I S  
D I E I V . M . J A N U A R I I A . M D C C C X X X .  
H . L . Q . S .  
P U B L I C E D E F E N D E T  
A U C T O R  
B E R N H A R D U S P R E I S S  
S I L E S I U S .

~~~~~

OPPONENTIBUS:  
J. PREISS, MED. ET CHIR. DR.  
C. GRIM, MED. ET CHIR. DR.  
J. WOLLHEIM, REFERENDARIO.

---

BEROLINI.  
TYPIS FERDINANDI NIETACK.

NO. 100

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

1910

PHYSICS

PHYSICS

PHYSICS

PHYSICS

PHYSICS

PHYSICS

PHYSICS

PHYSICS

PHYSICS

PHYSICS

PHYSICS

PHYSICS



**PRAECEPTORIBUS**  
SUMMA PIETATE COLENDIS

DISCIPULUS

NEC NON

PLATE 1  
SUMMARY OF RESULTS

1910



V I R O

DOCTISSIMO EXPERIENTISSIMO

*LUDOVICO PREISS*

MED. ET CHIRURG. DOCTORI, MEDICINAM PATRIA

IN URBE FELICISSIME COLENTI

AMICISSIMO ANIMO

CONSOBRINUS.



1817

DOCTORS OF THE FACULTY OF MEDICINE

OF THE UNIVERSITY OF PARIS

AND OF THE FACULTY OF SCIENCES

OF THE UNIVERSITY OF PARIS

AND OF THE FACULTY OF SCIENCES

---

Qui viget in foliis, venit a radicibus humor:  
sic patrum in natos abeunt cum semine morbi.

Dispositio hereditaria, s. congenita, gentilitia, ea morbos opportunitas peculiaris dicitur, cujus generem primum cum organismo ipso prognatum, generatione idcirco a parentibus transfertur in liberos, quae minum similis, uti celeberrimus Gaubius (institut. patholog. medicinal §. 618) egregie exposuit, per an- s saepe, absque sensibili labe, aut functionum lae- sione sopita quasi latet, at suo demum tempore, fa- ntes nactae conditiones in morborum speciem, qua rentes laborant, efflorescunt analogam.

Distinguenda nobis est praedispositio hereditaria, ae simul cum procreatione embryoni inseritur, a aedispositione connata, quae a matre sola, viribus centibus inter ipsius graviditatem in eam influen- us, aut vero causis externis infaustis, jam imme- ate foetui in utero materno tradita est,

Investigandum mihi nunc est, quantum potero in ec libello,

1) an revera praedispositio ad morbos heredita- existat, quo et quali modo originem ducat et omodo oriatur praedispositio connata,



2) utrum praedispositio sola an etiam morbus ipse a parentibus transferatur in proles,

3) an causa occasionali opus sit, ut praedispositio ad morbum usque amplificetur.

## I.

Multi iique celeberrimi priorum temporum scriptores ad omnes fere, qui homines affligere possunt, morbos praedispositionem hereditariam gigni posse contenderunt, quorum nonnulli ipsas febres et inflammationes non exceperunt, uti Procopius (de morbis hereditar. in genere §. 53) docuit. „Si eo tempore parentes liberos genuerint, quo in acutum quemdam morbum erant proclives, eadem haec morbosa corporis conditio, in liberos propagari potest.“ Et Fernellius (oper. omn. T. I. p. 204) prius jam eadem nobis tradidit.

Haud desunt autem recentiorum temporum viri magni ingenii, praecipueque Louis et Marcus, qui praedispositionem hereditariam oriri posse denegaverunt.

Quamquam haud dubium est, quin minime ad omnes morbos praedispositio hereditate existat, et ut uno tantum exemplo utar, syphilidem nomimo; tamen nullo jure eam numquam percipi posse contendere possumus, nisi experientiam multifariam, quotidie nobis occurrentem repudiare et rejicere velimus.

De praedispositionis hereditariae causa, quae in primis embryonis elementis sola quaerenda est, discrepant opiniones antiquorum scriptorum: quorum



nonnulli, sal acre parentum semini inhaerens et ad proles translatum causam esse praedispositionis hereditariae morborumque serius apparentium, docuerunt. Alii vero, veneno quodam esse impraegnatum semen, atque nulla alia, quam veneneta corpora procreari posse, censuerunt. Hypotheses insuper multae restant, quae vero omnes etiam infirmae quovis carent argumento.

Pathologi oeconomiae animalis legibus accuratius ab ipsis investigatis nixi, somnia illa et fictitia conemnentes, sententias et veriores quidem et aptiores de re nostra in universum nobis tradiderunt; definite enim demonstraverunt: praedispositionem solam hereditate esse propagandam, eam familiarum singularum propriam esse et ad certos solummodo, quibus familia laborat morbos, proles etiam praedisponere posse, semperque indolem organismi magis minusve a statu omni ex parte integro distantem indicare; sed pro pathologorum variis systematibus etiam de praedispositionis hereditariae causa et modo existentiae differunt opiniones. Nonnulli cum Friderico Hoffmann (med. rat. systemat T. I. p. 130) in vitio quodam peculiari partium solidarum ponendam esse causam, dum alii, in partium fluidarum mutatione peculiari causam esse sitam, contenderunt. Sunt etiam, qui dicant, eam in partibus solidis tum fluidis causam esse quaerendam, et haud deerunt, qui debilitatem et laxitatem solam hereditate accipi posse, putaverint.

Brevibus haec erant de re nostra auctorum opiniones ab Hippocrate inde ad recentiora usque tempora nobis tradita.



Ex his, quae pro viribus meis de re nostra nunc disseram, eluceat, quanam ex parte opiniones hae aut omnino a veritate absint, aus magis magisque ad eam proprius accedant.

Minime autem auctores recentiores de re nostra omnes conveniunt. Nam pro diversis auctorum de generationis negotio in universum, et quid valeat foetui mater, sententiis non minus dissentiunt auctores de causa praedispositionis hereditariae et existentia, et limites hujus libelli excederem, si variorum auctorum varias opiniones accurate et diligenter perscrutari vellem.

Necesse mihi esse videtur, ut, si, quod attinet ad praedispositionis hereditariae causam et existentiam, ad veritatem pervenire velimus, profundissimum tantorum malorum fontem illum in primo organismi recenter procreandi germine inquiramus.

Omnes fere cum pathologi tum physiologi recentioris temporis ingeniosissimi Blumenbachii hypothese, quae simplicitate et naturae convenientia maxime se commendat, consentiunt, embryonem nempe utriusque sexus semine, quod in uterino cavo fecundo coitu confundi constat, originem ducere, in quo utero, postquam semen intime invicem in eo mixtum esset, subigatur et maturescat, atque elapso illo praeparationis tempore, nisum, quem vocat formativum excitari, cujus virtute informis hactenus spermatica materies in embryonis figuram effingatur et vivens reddatur (Blumenbach. *istit. physiol.* §. 538. p. 465 et de *nisu formativo* p. 32.). Organismo idcirco oriundo ipsi nisus jam insitus est, corpus hu-



usque partes varias typo certo, respectu mixtionis, structurae, viriumque vitalium, formandi, excolendi et modificandi. Typus ille, cum jam primo embryonis oriundi germi, momento geneseos, inseratur, tamquam a generatoribus solis adtributus et quomammodo praedestinatus aestimari debet. Jam ex his clarius elucere potest, quid valeat generatorum corporis indoles et dispositio cum ad indolem tum ad dispositionem et evolutionem organismi procreandi, in quibus non solum causa continetur, cur et generata species organicae semper perdurent atque secum consentiant, sed ex eodem hoc fonte, uti mox videmus, cum hereditas formationum peculiarium corporumque constitutionum et temperamentorum, tum etiam praedispositio ad morbos hereditaria per familias et generationes perseverans originem ducat.

In organismo humano penitus incolumi tantum actiones ei propriae, eo modo ad leges naturae exercentur, ut solida et fluida viresque iis insitae in harmonia et integritate persistent. Cum autem organum aut systema seu organismi pars dinamica a normali statu aberrat, tunc, ex mutui nexus lege, uti omnes bene scimus, necesse est, partes solidas et fluidas viresque, pro organorum affectorum discrimine, magis minusve una morbo modo mutari et alienari. Quae dicta, quodsi ad semen ea referamus, tunc re vera haud minimi momenti esse apparebit organismo nascendo, utrum a parentibus plane sanis, an morbo quo laborantibus, momento conceptionis, in locum destinatum dejiciatur, praecipue si parentum morbus



ejusmodi est, ut ejus praedispositio ad organismum procreandum transferenda sit.

Jam Hippocrates loco quodam non temere dixit: „Semen enim genitale ex omnibus corporis partibus provenit, ex sanis quidem sanum, ex morborum morbosum;” et vix revera denegare possumus, foetum illius corporis qualitatem et dispositionem, ex cujus semine oriatur accipere, si naturam sequamur. Patris debilis seu matris invalidae semen numquam progeniem fortem, vividam et animosam procreabit. Addere velim Flacci nostri versum, qui ad hoc spectat:

Fortes creantur fortibus et bonis,  
Est in juvenis, est in equis patrum  
Virtus, nec imbellem feroces  
Progenerant aquilae columbam.

(Carm. lib. IV. Od. 4.)

Si igitur pater forti constitutione, mater autem debili fuerit, tunc etiam proles, prout aut patri aut matri similiores sunt, vel fortes etiam, vel debiles invenimus; quod saepissime observatur. Exempla multifaria quotidie nobis occurrunt, patrem aut matrem collo longo, pectore angusto, plano, pulmonibus debilibus, etiam liberos, una eademque dispositione praeditos, gignere. Ex quibus patet, qualitates omnes, quae a forma externa et structura peculiari partium internarum dependeant, a parentibus ad liberos transferri posse, ipsis etiam viribus non exceptis, quae a materia dissolutae fingi non possint. Pro mixtionis autem, connexus atque nisus utriusque seminis formativi diversitate, pro majori aut minori



activitate seminis virilis aut muliebris, etiam organismus, ex eo semine ortus aut patri aut matri similior erit, etiamque unius alteriusve corporis qualitates omni ex parte fere accipiet. Vidimus, inquit Gregorius (T. I. §. 16 et 43.), liberos structuram non solum et formam sed etiam idiosyncrasiam, virtutes et vitia hereditate accipere. Sexus autem nullum discrimen nobis praebere potest, (nisi in his, quae ad ejus individualitates tendunt) et puella patri et constitutione et habitu similior etiam dispositiones patris ad affectiones morbosas accipere potest et vice versa.

Ex his adhuc dictis, uti crederem, neminem fuisse poterit, utriusque sexus semen non modo ad procreandum organismum novum, verum etiam illius seminis qualitatem, ad organismi futuri modum vivendi, jam momento conceptionis constituendum, destinatum esse. Nam id, quod organismum gignit, etiam germi oriundo et modum et rationem totius evolutionis futurae imprimit; itaque procreati non solum quoad formam externam, sed etiam quoad partem materialem atque virium vicissitudinem generatorem adaequare debent. Uti autem vita, morbo modo agens et formans organismo suo evolutionem normali ex parte incolumem ac restitutionem integram curare non potest, ita etiam basin evolutionis normalis in organismum recenter procreatum transferre non valet.

Omnia, quae nunc attuli, probaverint, qualitates et dispositiones parentum ad liberos transferri posse, quod etiam experientia multifaria confirmat. Nam



semper, paucis exceptis, liberos iisdem ad morbos praedispositionibus, quibus parentes praediti erant, indutos invenimus, et mirandum est, quod una eademque aetate, qua parentum praedispositio in morbum ipsum transierat, etiam liberi eodem morbo saepissime affligantur, uti hoc praecipue in phthisicis morbis et in haemorrhoidibus et aliis morbis hereditariis sese clare nobis manifestat. Quae res magis etiam illud supra dictum confirmat: evolutionis typum organismi totius ejusque partium singularum primo generationis momento a parentibus germi primo embryonis jam intexi. Tissot (über Nervenkrankheiten) exemplum nobis tradit, ex quo infantes quindecim unius familiae uno eodemque tempore phthisi pulmonali erant correpti. Raro quemquam non aliquam partem corporis imbecillem habere dicit Celsus (L. I. cap. 3). Hanc sententiam Zimmermann (von der Erfahrung S. 598.) experientia sua amplius argumentatus est, demonstrans, in quocunque homine unam vel alteram partem, aliis debiliorem inveniri, atque in hanc partem, saepissime hereditate ita acceptam, causam occasionalem magis et facilius influere posse. Tissot (l. c. T. II. p. 8.) haud paucas esse corporis partes docet, quae praecipue in omnibus familiae ejusdem individuis debiles inveniantur et haud dabitandum esse, quin hereditate tales acceptae sint.

Nemo mehercule non videt parentes corporis proprii formam et temperamentum liberis tradere posse. Ab aequalitate autem externa facile ad similitudinem etiam partium internarum concludi posse probavit



Rougemont (über Erbkrankheiten, übersetzt von Wegeler S. 149). Idem porro eodem loco dicit: „Nos, quodsi e. g. in encephalo vitia aliqua organica, uti mollitiem ejus seu cohaerentiam nimiam, aut alia vitia, quae ad ambitum, formam aut texturam adhuc inexplicatam spectant, inveniamus, tunc ea tamquam hereditaria in prolibus, uti etiam ejus qualitates, ab hoc encephalo dependentes, animadvertere. Haec de encephalo dicta etiam ad multa alia quae ad nostram rem spectant, referenda sunt, et tum rationes organisationis generales, seu ad totum seu ad systemata aut organa singula vergunt, tum vitia in parentum intima vegetatione radicantia eodem modo, uti iam vidimus, generatione ad liberos propagantur. Etiam haec autem revera experientia multifaria probat, constitutionem gracilem et imbecilem, ex qua processus vitalis universalis debilis, itaque debilitas universalis, reactio contra res externas non sufficiens atque receptivitas aucta et ex his rursus processus vitalis aberratio sit derivanda, hereditate propagari. Aequali modo haec saepe in debilitate et disproportionatione systematum nec non organorum eorumque in actionibus vitalibus singularibus observamus. Sunt autem imprimis organisationis ad morbos peculiare formandos directiones insigni habitu eminentis, quae generationi originem debent. Sic igitur praedispositionem ad apoplexiam et phthisin, ad scrophulosin, rachitidem etc. saepissime invenimus. Omnes hae dispositiones sopitant ad istud corporis evolutionis tempus usque, quo nisus formativus et incitabi-



litatis ratio (Erregungsverhältniß) ad eas partes, in quibus praedispositio sita est tendit.

Es his adhuc de re nostra dictis intelligemus, praedispositionem hereditariam certe existere debere et qua via oriri possit.

Restat nunc nobis ad quaestioni primae respondendum, ut ostendamus, qualis sit ratio inter foetum et matrem, quo eluceat, unde praedispositio connata originem ducat.

Foetus in utero clauso in intimo connexu quidem cum matre versatur; quum autem embryonis sexus utriusque semine formati primo germine, uti jam vidimus, illatus sit nisus formativus, nil tunc necesse est, quam ut sese in utero materno nutriat et vi sua propria excolat. Bene autem omnes sciunt, foetum a matre nutrimentum accipere. Itaque quis est, qui dubitet, quin secunda aut adversa matris gravidiae valetudo foetus cum evolutioni tum valetudini maximi momenti sit. Mulier, cujus digestionis organa intra graviditatis tempus in statu perfecte sano vigent, cujus in universum corporis functiones normales procedunt, etiam foetui nutrimenta ad valetudinem bonam ei conservandam apta praebet, atque foetus sanitate perfecta praeditus etiam ad evolutionem perfectam pervenit. Quodsi autem matris aut organa digestionis intra graviditatem ita laesa sunt, ut humores alienentur, aut si eodem tempore alio aliquo morbo affligatur, aut si pathemata animi aliaeque causae externae in eam influant, tunc etiam foetus nutritio minus apta esse debet, quo fit, ut foetus evolutioni qualitates abnormes diversae in-



erantur. Hac igitur in via, et quidem plerumque  
 arionibus et qualitatibus corporis materni in gravi-  
 tate sola dispositiones ad morbos variae oriri pos-  
 unt, quae optimo jure „connatae” dicuntur, cum  
 extra generationis limites originem ducant, quam-  
 quam non raro fit, ut liberi a parentibus quamvis  
 sane sanis uati, tamen cum praedispositione ad  
 anthisin aut ad alios morbos pariantur.

Praedispositio connata idcirco est ea embryonis  
 normali statu deflectio, quae, dum domicilium  
 utero habet, oritur. Ea dispositio posita esse  
 potest 1) aut in temperatione certa irritabilitatis, per  
 connexionem etiam dynamicum inter matrem et foetum  
 existentem attributa, 2) aut in formationis abnormi-  
 tate, impressu aut vi externa aut anomalia vis for-  
 mativae adducta, aut tandem 3) in mixtionis aberratione  
 aut irritabilitatis aut sensibilitatis seu materiarum  
 corruptarum ipsarum mutatione concitata.

## II,

Discrepant inter se pathologorum opiniones de  
 quaestione, utrum morbus ipse an praedispositio sola  
 morbum hereditate propagetur.

Uti multi auctorum discrimen certum inter  
 praedispositionem hereditariam et stricte connata  
 non statuerunt, ita etiam morborum hereditario-  
 rum et connatorum notiones confuderunt, et ni fallor  
 haec sola causa fuit, cur alii contenderint mor-  
 bos ipsos, alii praedispositiones ad morbos solas a  
 parentibus in liberos transferri.



Praedispositionem solam et numquam morbum ipsum, exceptis perpaucis formationum vitiis, propagari posse etiam nos censemus.

Jam supra demonstravimus, praedispositionem ad morbos hereditariam generatione, et quidem utriusque sexus semine germini foetus primo imprimi. Fac autem, morbos ipsos propagari, tunc etiam haec eadem via fieri deberet, et necesse esset, ut materia morbifica ex parentum unius vel alterius corporis momento geneseos una cum semine transeat in embryonem evolvendum, quod vix credendum est; tunc opus enim esset, ut, pater materve aut phthisi aut scrofulosi aut arthritide aut hypochondriasi etc. laborans, etiam prolem, iis morbis ipsis jam afflictum gignant. Nullum autem exemplum existit, patrem phthisicum filium eodem morbo jam in partu ex cultu afflictum genuisse, sed semper talem, dummodo patri similis sit, praedispositione ad eosdem morbos sola praeditum. Sed memoratu dignum est, quod multi auctorum accipiant, materiam morbificam etiam in his casibus in embryonem transire, et quasi seminum morbi occultum sopitare atque seriori aetate demumerumpere. Quod vero minime est concedendum.

Primum enim nullum miasma seu contagium vel alia materia morbifica adhuc nota est, quae semen ipsum eo peculiari modo ita mutet, ut partes fundamentales miasmatum vel aliarum materiarum morbificarum cum semine misceantur. Alienatum autem esse potest parentum morbo aliquo laborantium semen, quo fieri potest, ut constitutio et habitus foe-



us ex illo semine exorti debilis et cachecticus sese  
 nobis manifestet; ex quo etiam dispositio heredita-  
 ta certe deriyanda est. Si autem semen revera ma-  
 ria morbifica fuerit impraegnatum, certe tunc, si  
 organismum perfectum procreare debet illud semen,  
 nimo in gradu tantum ejus materiae particeps esse  
 test. Atomus ille autem, ut ita dicam, ejus mate-  
 ae secretionem et reproductionem tam aucta, uti in  
 pprore infantili, mutari et innoxia reddi deberet.

Quod de phthisi adhuc dictum est ad arthriti-  
 m quoque et ad scrofulosin malumque hypochon-  
 dacum et ad alios morbos hereditarios sic dictos  
 erendum est; quorum morborum numquam unus  
 alter ipse, sed semper praedispositio tantum ad  
 a propagatur. Etiam ad morbos, qui ad partium  
 gularum formam spectant, praedispositio sola, pau-  
 execeptis, hereditate in liberos adfertur. Gaubius  
 quodam enarrat, se patrem familias cognosse,  
 us digitus minimus ad volam manus curvatus fue-  
 illum duos filios genuisse, quorum majoris natu-  
 tum minimum uno eodemque tempore, quo pa-  
 digitus curvatus fuisset, etiam ad volam manus  
 curvavisse; filium alterum autem, timentem, ne  
 ipse hoc malo corripiatur, diu ante tempus  
 am omnia adhibuisse, quae ad evitandum hoc  
 am conferre potuerint; nihilominus autem eodem  
 o tempore in illud ipsum vitium lapsum esse.  
 elius (patholog. med. dogmat. p. 285.) observata  
 s tradit, liberos nempe parentum gibbosorum  
 quarto aut quinto anno gibbosos factos esse,



quamquam annis prioribus nullum morbi hujus futuri vestigium adfuerit. Multa adhuc exempla similia nobis a scriptoribus afferuntur, ita ut ex his clare eluceat, non morbum ipsum sed praedispositionem ad morbum hereditate transferri.

Nulla autem modo contendere his dictis vellem liberos morbo quodam manifesto laborantes nasci non posse, nam experientia contrarium nobis per saepe praebet; qui tunc autem non morbi hereditarii sed morbi connati dicendi sunt.

Jam supra exposuimus, quo in connexu foetus in utero cum matre versetur; praeterea eodem loco vidimus, qua via praedispositio connata oriri possit. Ex iisdem eo loco jam expositis causis etiam morbus connatus originem ducit, si nempe materia morbifica ipsa, nutrimento aut alio modo etiam a matre foetui in utero versanti translata, in foetum transfertur, quod hac in via facillime fieri potest. Hoc modo miasmata et contagia, uti e. g. variolae, syphilis etc. a corpore materno in foetum transeunt. Barserius de Kanilfeld (institut. med. pract. T. III. p. 185.) exemplum enarret, variolas, quibus mater gravida quaedam erat infecta etiam foetum in utero erripuisse. Vogel (Handbuch T. III. p. 189.) exemplum simile de morbillis tradit. Accidit autem saepe ut corpus maternum receptivitate unius vel alterius miasmatis quidem careat, attamen autem materiam illam foetui inducat (Burdach pathol. §. 347. S. 267.)

Quod de miasmatis et contagiis dictum etiam ad alios morbos referendum est; ita exempla multa



ab auctoribus adnotata sunt, matres gravidas hydrope aut ictero affectas, liberos etiam hydropicos vel ictericos peperisse. Sed etiam his in casibus, uti jam supra de praedispositione connata exposuimus, haud semper necesse est, ut mater aliquo morbo, quo foetus nascens jam afflictus est, laboret. Etiam haec multa probant exempla, parentum perfecte sanorum liberos morbis jam in utero correptos in lucem evasisse. Exemplum memoratu dignum Isenflam (Versuch einiger Anmerkungen über die Eingeweide. 2. Abschnitt p. 168.) nobis affert, se ipsum nempe liberos a parentibus perfecte sanis genitos haud diu post partum diabete exquisito afflictos videsse.

Restant nunc morbi formationis, jure connati iam nominati, qui foetus evolutionis in utero immeditae sequelae haberi debent, et haud dubium est, quin cum terror tum animi affectiones, et secundum Arn. Anton. Nicolai (Gedanken von den Wirkungen der Einbildungskraft im menschlichen Körper. Halle. 1784.) etiam imaginationes multa ad vitia formativa pernicienda, praecipue priori embryonis evolutionis tempore conferre possint.

Omnes autem adhuc de morbis revera jam in partu foetui inhaerentibus casus laudati neutiquam contra illam opinionem certant, praedispositionem illam hereditate propagari, nam certe non morbi hereditarii sed connati sunt.



## III.

Quamquam haud rara exempla ab auctoribus ad nos pervenerunt, ex quibus elucere videatur, etiam nulla causa occasionali data, tamen praedispositionem hereditariam in morbum transiisse, ita ut ad credendum induci possimus, cum multis scriptoribus, nulla causa occasionali opus esse, qua praedispositio hereditaria in morbum convertatur, attamen si accuratius hanc rem investigamus mox patebit, nullum morbum sine causa occasionali oriri posse, praedispositione quamvis ad ipsum clarissime manifestata.

Mirandum quidem nobis est, quod in plurimis casibus cujusdam familiae liberi uno eodemque certo tempore, quo parentes morbo quodam tentati sint, etiam eodem morbo affligantur, et Tissot (l. c.) nec non alii celeberrimi medici exempla exhibuerunt, morbos in infantibus, praedispositione hereditaria praeditis, causis occasionalibus omnibus, regimine ab ipsis instituto, repulsis, tamen justo tempore apparuisse. Ad morbum autem oriundum, uti pathologi recte monnerunt, numquam dispositio sola, quamquam validissima, sufficere potest, sed semper etiam causa nocens advenire debet, si morbus oriatur. Praedispositio hereditaria a lege hac naturae excipi non potest; et si in plerisque casibus causa occasionalis haud adesse videatur, tamen autem praedispositio hereditaria in morbum paternum sese convertat, tunc tantum scimus, causam occasionalem minimam, praedispositione



praecipue clarius manifesta data, requiri, ut morbus ipsa succedat. Cernimus porro, praedispositionem hereditariam semper in organismi certa evolutionis periodo in morbum ipsum mutari, uti rhachitis et scrofulosis aetate infantili, phthisis et haemoptoë et aliae pectoris affectiones aetate juvenili, arthritis, haemorrhoides etc. saepissime aetate virili, et similia simili modo aetate jam proveciori.

Neminem autem fugiet, organismum totum, praecipueque illa organa aut systemata, in quibus eo evolutionis tempore ad perfectionis fastigium perveniendi nisus sit insitus, saepissime perturbari et laesum factari, quod facile fieri potest, cum systematum in evolutione versantium activitas maxime augeatur, et mutua ratio cum natura externa nunc et vividior et vehementior procedat. Etiam si vero affectus tumultuosissimos, quamquam in organis vel systematibus singulis excolendis nulla directio morbosa inveniriatur, in variis evolutionum periodis pro organorum seu systematum diversitate saepissime cernimus; uti exanthemata in cutis evolutione, tussin, haemoptoën, inflammationes et spasmodicas aliasque affectiones organorum thoracis in organorum respirationis evolutione, vitia systematis genitalis in hujus evolutione, dolores, convulsiones et spasmos varios, hypochondriam et hysteriam et similia in evolutionis periodo muscutorum et systematis nervei; quanto magis itaque et quanto facilius perturbatio illa vel in organismum tetum vel in organa seu systemata in evolutionis periodo versantia, quibus jam a generatoribus di-



rectio sese evolvendi abnormis est insita, veluti causa occasionalis influere debet, ut morbus ipse evadat. Illud organon aut systema si ad evolutionis finem pervenerit et, ut ita dicam, perfectionis fastigium attingerit, nunc denique pro harmonia totius organismi conservanda et restituenda majoris momenti fit, quam priori tempore, quo natura ali cuidam organo aut systemati κατ' ἐξοκην excolendo prnvidit. Quodsi autem organon cujusdam organismi aut systema, jam primo originis momento, modum vivendi et sese excolendi et agendi abnormem acceperit, tunc etiam eo certius et manifestius, si ad suae evolutionis finem pervenerit, status ille sese declarabit. Nam tunc denique e. g. organon quoddam viribus exiguis instructum aequali gradu uti si in instatu normali perseverasset, functiones ad totum in integritate conservandum organismum necessarias perficere, eodemque vigore vicissitudinibus cum natura externa validissime procedentibus subniti debet, quod autem, uti facile intelligendum est, non fieri potest. Res externae idcirco in istud organon influentes etiam id subigunt, harmonia et aequilibrium, propter intimum inter omnes corporis partes connexum suspendi debet et morbus oritur, qui sese proxime in organo jam a natura dispositione ad morbum quemdam praedito manifestat.

---



---

## VITA.

---

**E**go BERNHARDUS PREISS, natus sum anno MDCCCIV  
Mulitiae in Silesia super., patre Ludovico, matre Hen-  
rica e gente Stenzel, quos superstites adhuc veneror,  
eterisque testamento sum addictus.

Primis literarum rudimentis domi imbutus, an-  
num agens decimum quartum Vratislaviam me con-  
ali, ubi studiis gymnasialibus peractis A. MDCCCXXVI  
maturitatis testimonio instructus ejusdem anni mense  
apr. ab Ill. Weber t. t. rectore magnifico, in album  
Universitatis civium relatus, apud Ill. Wendt, t. t.  
medicorum ordinis decanum spectabilem medicinae  
nomen dedi. In alma hac musarum sede viros dis-



serentes audivi hos: Ill. Branis de logice. Ill. Schneider de Thucydide nec non de Ciceronis epistolis. Ill. Wachler de historia Romanorum, de historia literarum cum antiquarum tum Germanicarum, nec non de encyclopaedia universali. Ill. Steffens de hodegetice. Ill. Treviranum de botanices elementis. Ill. Fischer de chemia. Ill. Passow de Taciti Agricola. Celeb. Barkow de ostseologia. Ill. Otto de syndesmologia, de anatomia corporis humani cum theoretica tum practica, de anatomia comparata, de Zoologia ac de foetus humani historia. Ill. Glocker de crystallographia et oryctognosia. Ill. Purkinje de physiologia.

A. MDCCCXXVII. Berolinum profectus ibique mense Oct. ab ill. Rudolphi t. t. pro rectore fasces tenente, studiosorum numero sum adscriptus, et ab Ill. Link medicor. ordin. gratiosi decano maxime spectabili inter med. studiosos receptus. Ibi has audivi lectiones: Ill. F. Hufeland de pathologia generali et de therapia cum generali tum speciali. Ill. de Humboldt de geographia physica. Ill. Osann de ma-




teria medica nec non de fontibus medicatis. Ill.  
Hermbstaedt de pharmacia et physica experimental.  
Perill. W. Hufeland de morbis nervorum. Ill. Link  
de toxicologia. Ill. Jüngken de chirurgia, de akiur-  
gia et de morbis oculorum. Ill. Toelken de Horatii  
arte poetica.

Institutionibus clinicis virorum Perill. et Ill. Hu-  
feland, Osann et Busse, Bartels, Wolf, Rust tam au-  
cultando quam aegrorum curam suspiciendo per plura  
semestria interfui.

Jam vero tentamine philosophico et medico nec  
non examine rigoroso rite absolutis spero fore, ut  
dissertatione thesibusque palam defensis, summi me-  
dicinae et chirurgiae honores in me conferantur.

---







---

## THESES.

---

I.

*Praedispositio et non morbus hereditate propagatur.*

II.

*Unicum fere remedium naturae febris est.*

III.

*Calor animalis a nervorum vi non pendet.*

IV.

*Imputatio non a jureconsulto sed a medico dijudicanda.*

---



THESIS.

I  
Freneticus et non morbus hereditarius

II  
Cunctis fere freneticis naturae febris est.

III  
Calor animalis a struere et non pendit.

IV  
Inpulsio non a jureconsilio sed a me-

tho elidenda.



